

Joseph Resch

Constantini Hostia

oder

Die sieghafte kirch-veyhe deß grossen kaysers Konstatin

(1757/1758)

Ediert von Stefan Zathammer

Universität Innsbruck
Institut für Sprachen und Literaturen
Bereich Gräzistik und Latinistik



Innsbruck 2017



Erschienen im Rahmen des Projekts „Brixner Schultheater im 18. Jahrhundert: Edition und Übersetzung der neulateinischen Dramen von Joseph Resch“, gefördert von der Autonomen Provinz Bozen – Südtirol.

Personae

Gaius Valerius Licinius Licinianus: <i>Imperator augustus</i>	LIC.
Flavius Valerius Constantinus: <i>Imperator augustus</i>	FLA.
Aurelius Valerius Diocletianus Iovus: <i>Antea imperator, nunc abdicato imperio privatus</i>	DIO.
Paulinus: <i>Tyrriorum episcopus</i>	PAUL.
Galerius Maximinus Daza: <i>Imperator Orientis augustus</i>	MAX.
Constantia: <i>Imperatrix, Licinii senioris coniux et Constantini soror</i>	CON.
Flavius Valerius Crispus: <i>Nobilissimus Caesar, Constantini ex Minervina, prima coniuge, filius</i>	CRI.
Flavius Valerius Constantinus iunior: <i>Caesar, filius Constantini ex altera coniuge, Flav. Max. Fausta, Maximiani Hercules filia</i>	CON.
Martinianus: <i>Caesar a Licinio seniore appellatus</i>	MAR.
M. Iul. Licinius Licinianus iunior: <i>Caesar, senioris filius</i>	IUL.
Valens: <i>Caesar appellatus a Licinio imperatore</i>	VAL.
Flav. Hannibaleianus: <i>Licinii senioris ex Constantia filius</i>	HAN.
<Eusebius>	EUS.
<Nuntius>	NUN.
<Satellites>	SAT.
Signiferi	
Duces militum	
Milites	
Ephebi	

In choris poeticis-moralibus

<Tres peregrini ex Alemannia>	PER.
<Diocletianus>	DIO.

In choris musicis

Apollo	APO.
<Themis>	THE.
<Calliope, Thalia, Clio, Melpomene, Euterpe, Terpsichore, Erato, Uranie, Polyhymnia>	

Sadoc: *Sacerdos*
David: *Rex*
Salomon: *Rex*
Nathan: *Propheta*
Ioab

SAD.
DAV.
SAL.
NATH.
IOAB

Prologus

*Apollo Musarum praeses in Parnasso, Musae Calliope, Thalia, Clio, Melpomene,
Euterpe, Terpsichore, Erato, Uranie, Polyhymnia, et Themis dea.*

Chorus Musarum

Phoebe, Phoebeco radio ora picte,
nube candentes humeros amicte,
quem verecundo celebrant novenae
ore Camenae!

Ecce Musarum chorus et corona 5
poplite inflexo tibi, Phoebe, prona,
concinit laudes cithara sonora
voce canora.

Phoebe, Parnassi iubar et levamen 10
atque Musarum decus et iuvamen,
praeses ipsarum, accipias honores
turis odores.

Recitativo

APO. Musae Olympiades,
Iovis Aegiochi filiae,
nec non auricomae 15
Mnemosynes!

Quae veluti suaviloquae Sirenes
nunc ad Hippocrenes
dulcifluos fontes,
nunc per sacri Olmii montes 20
choreas agitatis
tenerisque pedibus tripudiatis.

Tu vero praeprimis, Calliope,
harum
praestantissima dearum, 25
cantum ab Apolline
ad Themidem convertite!

Aria

Felix, quem Musae diligunt,
cui dulce melos concinunt,
e quarum ore suavis
mellitis plena favis
manare solet vox. 30

Talis redundat gratia,
si per rosarum atria
Aurora scandit polum, 35
si per obscurum solum
diei cedit nox.

Recitativo

CAL. Apollo, salve, Cynthie,
auratae inventor citharae!
Noster concentus incassum 40
impleret his deliciis Parnassum,
nisi praesentia Apollinis
gratiam Musis adderet Pieriis.

Aria

Quae facies caelo sereno,
in aere lucis egeno, 45
si nocte prostrata,
Aurora fugata
Titania caput extulerit fax,
Apollini talis est vultus
et vultui talis est cultus, 50
si praeses Musarum,
sol novem stellarum
coruscat, Pieridum aurea pax.

Recitativo

THA. Quantumvis facundissimae
vox melle dulcior sit Calliope. 55
Euterpe canat dialecticam longo tractatu
Melpomene tragoedias tristi boatu,

Thalia germinet comoedias,
Terpsichore ducat choreas,
Uranie stellas contempletur. 60
Harum tamen omnium omnia
unus Apollo decora
 complectetur.

Aria

Clio, soror gloriosa,
 carmen pange epicum, 65
Erato, Paestana rosa
 pulchrior, elegiacum!

Quate sistra, move plectra,
 soror Polyhymnia!
Pelle curas, atra spectra, 70
 tua move cymbala!

Nostras tamen, ut amoenas
 dulci modulamine,
superabit cantilenas
 suo Phoebus carmine. 75

Recitativo

APO. Musae Heliconiades,
sorores Pierides,
placent equidem,
quae concinuistis ad Apollinem,
attamen magis Themidi placitura, 80
quae sua cuique reddit iustitiae iura.

Hanc igitur adoremus
suumque ei templum consecremus,
Iovis mentem oblectando,
regem regum adorando, 85
ubi Themis fatidica
et dea Titania
 fundit oracula.

Aria

Hic locus, quo Deucalio
a Themidis oraculo 90

 edoctus se prostravit,
quo per coniectos lapides
cum Pyrrha suas fixit spes,
 res lapsas reparavit.

Dum fuis tenerrimis votis, 95
nimbis Aquilone remotis,
dum capite pie velato,
lapillo post terga iactato,
humanum genus restauravit.

Hic quondam Atlas caelifer 100

– cui cognatus Iupiter
 concesserat regnare –
a Themide Parnassia
conceperat oracula,
 prostratus ad altare. 105

Sic ego truncato Pythone
et domito victor dracone
fusoque putoribus pleno
per vulnera mille veneno
tibi Themii templum dicabo. 110

Recitativo

AP0. Ecce caelestis fulgor dea propitia
iam implet templi limina.
Ergo Themii, quae fixa fatali lege
divina praescis gubernacula
per caelica oracula 115
a Iove, deorum et hominum rege.

Chorus Apollonis et Musarum

O Themii, antiquo generata caelo!
Prima quae pulso veneranda Belo
praescias sortes homini dedisti
 et docuisti 120

prima, quis ritus superos colendi,
tureque accenso pecus offerendi
victima ut possit recreare caesa
numina laesa.

A domo sancta omne malum repelle,
ne fretum terrae fieret rebelle,
sol tuus spectet nebula remota
publica vota.

125

Recitativo

THE. Ego sum, quae prima caeremonias
dedi mortalibus, immortalibus sacriferas.

130

Placet hoc vestrae religionis specimen,
placent nova templa, attamen
(*ariose*) templa reor dici, quae mons Sabiona dicabit,
Brixina perficiet, Leopoldus mysta sacrabit,
non mihi, sed Themidi meliori, templa sophiae
divinae et divae matri renovanda Mariae.

135

Aria

Innoventur hac in die
soni dulcis symphoniae
ad festiva gaudia.
Sabiona laeta plaude,
prima mater, et congaude
fortunata Brixina!

140

Primus Cassiani labor
in hoc coeptus monte Thabor,
Sabionae tumulo,
est in templo Brixinensi,
dedicando hoc in mense,
suo auctus cumulo.

145

Actus I

Scaena I

Flavius Constantinus, Eusebius, Paulinus, Crispus et Constantinus iunior.

(Per scaenam secundam.)

FLA. Iacet cruenta belua, flagellum dei,
Maxentius. Maxentii invisum caput 150
hoc fulminante acinace praecisum iacet.
EUS. Nempe truculentus Pharao in alto gurgite
submersus amne sanguinis rubro maris
rubri ruborem geminat et fraus hostium
transit pium reditque in auctorem impium. 155
CRI. Decipula nobis posita decipula fuit
ipsi tyranno pessima auctori suo,
dum Milvii pons amnis in fundum ruit
unaque clade involvit omnem pessimi
exercitum Maxentii. CON. O hostem efferum, 160
cuius ruinas, miserias, clades, neces,
incendia cineresque quis rite explicet?
FLA. Ex nuntiorum fide est Alexander quoque,
dirus tyrannus Africae, datus neci.
Quid, quod Galerius, ille Dioclis gener, 165
atrox in ora Illyride Caesar caesus est
quique antea superbo et hostili excitus
furore rapuit victor ardentem opes
superante te, Vulcane, nunc caesus iacet?
EUS. Quisquis rebellat numini et gentem premit 170
Christo dicatam, quisquis audaci improbus
aestu furit, cum tempore meritas dabit
poenas furoris. Impiis deus breve
concessit aevum. Scelere cum iustos premunt,
in sua tonantem crimina ultorem trahunt. 175
FLA. Quid amplius sperare mihi par sit, redux
en ipse laeto nuntius vultu admonet.

Scaena II

Nuntius et priores personae.

(Nuntius funem ostendit.)

NUN. Auguste Caesar! Laqueus en contritus est
et nos iugo tyrannico exempti sumus.

Saevus tyrannus Galliae, Italiae malum, 180
fatale fulmen occidentis imperii,
hoc fune strangulatus Herculus iacet.

(Flavius prae terrore columnae insistit.)

FLA. Superi! CRI. O acerbe, o dire fatorum rigor!

CON. O alta caelorum omina! EUS. O superum fidem!

FLA. Quis horror aures impulit? Quo nuntio 185
percellis animum? EUS. Haud absque divum numine
adeo probrosa morte correptus fuit.

Sic nempe sequitur ultor a tergo deus
scelera impiorum. Laneo Nemesis pede 190
urget scelestos. Nemo felici gerit
adversus astra Marte bellorum faces
rebellibusque nemo cum Gigantibus
ignita iacula impunis in caelum iacit.

FLA. Nutat animus tremitque tam horrenda nece.

Hinc superum adoro nutum, at illinc misereor, 195
quod Maximianus Herculus, altor meus,
socer mihi venerandus et semper mihi
patris loco habitus, imperator inclitus
Caesarque totque Caesarum augustus pater,
adeo probrosa a iudice supremo nece 200
sublatus animam exspuerit infaustus suam. *(Canitur tuba.)*

EUS. Quis iste strepitus? Quis tubae increpuit fragor?

FLA. En ut sereno laetus aspectu emicat
Licinius imperator et pignore sacro, 205
affinitatis vinculo, adnexus mihi.

EUS. Subit ecce victor. *(Iterum canitur tuba.)*

Scaena III

Prioribus accedit Licinius cum Iulio Licinio et Hannibaleiano.

LIC. Vindicem Christi voca
tuumque, Constantine! Io victoria!
Io triumpho! FLA. Maximum nobis decus
affinis est Licinius. Hanc victoriam,
quaecunque sit, tibi gratulor. Pande seriem! 210
LIC. Haud apparatu est facilis, haud pretio levi
redempta laurus. Largus hanc tinxit cruor
et utrinque multa exercitus uterque invicem
anima litarunt. In necem totis itum est
agminibus, idem Martis hinc illinc furor. 215
Non ordine ullus cedere aut fractus mora
remittere iras, nil fugae et metui datum.
Aequoque Marte pertinax diu stetit
sors dubia pugnae, donec, a multo cane
agitata tanquam belua, tyrannus cadat 220
nostrosque Maximinus in casses ruat.
Haec prada opima clavis est victoriae
facilemque duris exitum rebus dabit.
En Maximinum vinculis gravem vide
et contremisce! IUL. En praeda conspectum subit, 225
en primus in nos detonat capti furor.
HAN. Ecce furiosus fulminat ab oculis nitor.

Scaena IV

Maximinus et priores.

MAX. Ubi praedo? Ubi hostis? Tene, scelerate, intueor?
LIC. Me, me intueris, perfide, infelix, miser!
Qui sim, vide! – Hasne frontis agnoscis notas, 230
e cuius ore fulmen in caput tuum
erupit hodie? En ista quid possit manus,
scis ipse et orbis ultimum audivit latus.

MAX. Agnosco te, o totius Orientis latro
et perduellis proditor! Cognosco te. 235
Nosco hanc coronam, in capite furtivum decus.
LIC. Tantopere furis victus? MAX. Et vinctus quidem.
Non vincta tamen est lingua nec victus animus.
FLA. Ignescit oculo sceleris interpret, furor.
MAX. Non me imperandi caecus armavit furor, 240
sed sancta pietas totque populorum salus.
EUS. Etiam scelestis umbra virtutis placet?
Tyranne, non sic ludimus. LIC. Procul mora
auferte dirum, carceris diro in specu
abscondite nefas et catenatum canem! 245
MAX. Impie! LIC. Tyranne! MAX. Barbare! LIC. Infelix! MAX. Ferox!
FLA. Latrare poteris, non tamen poteris diu
mordere, donec ensis hic caput auferat.
MAX. En me sub ictu, carnifex et perfide
tyranne, trado, trado carnifici caput. 250
Absume corpus ignibus, ferro seca!
LIC. Responsa ab ore ferreo feres brevi.

Scaena V

Abducitur Maximinus, remanent reliqui.

FLA. Auguste frater, quod hodie egisti, tua
tam gloriosum facinus haud fecit manus,
fecere superi. Numini hanc victoriam 255
adscribe, vero numini Christo, patris
consempiterni filio! Hic Maxentium
prostravit, hic tyrannum Alexandrum meis,
hic Maximinum pedibus advolvit tuis.
Audire lubeat, quis mihi tantum deus 260
dederit triumphum. Noctis ubi iuri dies
cessit peracta seque per sudum faces
egere Olympum, visa per somnum fuit
species triumphi: Visus ad nostros pedes

me voce clara alloquitur et scribere iubet
lecto iacentem. „Nescio“, inquam, „scribere.“
„Accerse tibi notarium!“ inquit angelus.
Extemplo levia membra de lecto tuli.
Notarius adest illico et morem gerit, 310
dictante scribit angelo arcanas preces,
devotione fervidas, plenas fide.
Has praeunte antistite e Christi grege
preces sequente Caesare et reliquo duce
coram universo exercitu orari iubet. 315
Isthaec locutus angelus disparuit.
Morem monenti gessimus. Pleni fide
fiduciaque in Christum anhelo pectore
ferimur in hostem labaro sanctae crucis
praeunte, quem vix vidimus, iam vicimus. 320
EUS. ET OMNES Igitur uterque patriae augustus pater
vivat, triumphet, imperet, in aevum regat!
FLA. Romane miles, plaude victori tuo,
Christo, saluti gentium, horrore hostium!
(Constantinus tollit labarum crucis in altum.)
En gloriosum labarum signi crucis, 325
quo Christus usque regnat, invictus quoque
Christus triumphat! EUS. ET OMNES Hoc signo crucis,
hoc vince, Constantine, et adversarios
prosterne nostros!
(Licinius et omnes milites tangentes labarum iurant.)
FLA. Impia tyrannis iacet,
iacent superba capita. Quae olim caelicas 330
ferire voluere apice sublimi faces,
nunc in profundum lapsa Tartarum iacent.
Idcirco templa Tyria templaque Solyma
renovare stat, renovata Christo adscribere
et Christiano consecrare numini! 335
(Per scaenam mediam.)
(Finis protasis.)

Scaena VI

Remanet Crispus et Constantinus iunior.

(Incipit epitasis.)

CRI. An serio haec Licinius? An signum crucis
devoto adorat poplite? An deos suos
corde exsecratur serio? Ubi vetus furor?
Ubi prior apparatus armorum, cruces,
tormenta, lanceae, acinaces, ignes, rotae, 340
queis Christianum exercuit saevus gregem?
Ubi tot Quiritum civium effusus cruor,
quot Christi in odium martyres caelo intulit?
CON. Quae, Crispe, tibi suspicio mentem vellicat,
meum et animum non praeterit. Mutabilis 345
et versipellis artifex fraudum omnium,
Licinius, artes paulo post elatior
Stygio tumentes toxico prodet palam.
Novi nocentis indolem: In corde excoquit
longe alia, quam quae ab ore mendaci exurit. 350
CRI. Latet anguis hac in herba eo nocentior,
quanto venenum occultius in illa latet.
Nec tot paternae proderunt victoriae
nec tot triumphi nec tot effusa manu
congesta laudum decora, non Martis favor 355
domitique reges, non triumphatae hactenus
Christique per nos subditae gentes iugo.
CON. Sed Christiano Christus assistet gregi
quique veteris serpentis attrivit caput,
etiam huius anguis proteret colla tumida. 360
CRI. Quod animal excoriatum in has oras pedem?
CON. Crinitus hic cometa quas minas iacit?
CRI. Fugiamus hinc! Fugiamus hoc monstrum ferox!

Scaena VII

Diocletianus.

(Per latus theatri.)

In haec reservor tempora? Ego paulo antea
canis et annis plenus et lauris gravis 370
imperia terris, nomen aequavi polis,
nunc abdicato imperio in ultimum omnia
discrimen adduxi. Imperi nomen sacrum,
me, patriam, rem publicam, templa et deos
pessumdedi. Paulo antea sceptro potens, 375
dives tributis gentium plane omnium
altum superbus extuli in caelos caput,
nunc e diametro eiectus, exul, inops laris,
heu sponte miser, egenus, exesus fame
sum nemini miserabilis. Paulo antea 380
orbi universo iura terribilis dedi,
nunc omnibus sum gentibus contemptui,
ubique spernor, rideor, ludor, premor.
Et – quod dolendum maxime mentem premit –
quod Christiano nomini ex orbe penitus 385
eliminando impenderam, fructu caret.
Vah, quanta nostrum numinum probra cernimus!
Vilescit immortalium nomen deum,
delubra nutant omnia, antiquis cadit
Iupiter ab aris, Roma Christiadam deo 390
devota lunat poplitem, fumant novis
altaria sacris, unde perniciēs diis
imminet avitis. – Vade! Quid lentus stupes?
Quid, magne quondam Caesar, oculos – vah probrum! –
his Christianis inquinās monstris tuos? 400
Regredere in aulam, sterne et everte omnia!

Hinweise zur Textgestaltung

Dieser Ausgabe liegt die in der Bibliothek des Brixner Priesterseminars erhaltene Handschrift zugrunde (Signatur SEM F 15). Ziel war es nicht, eine dokumentarisch getreue Abschrift des Textes von *Constantini Hostia* zu bieten, wie ihn der Brixner Codex enthält, eine Lösung, die bei den zahlreichen Streichungen, Änderungen und Ergänzungen, die in der Handschrift vorgenommen wurden, auch gar nicht sinnvoll gewesen wäre. Vielmehr liegt den Herausgebern daran, einen Lesetext zu erstellen, der leicht benützlich ist und eine rasche und bequeme Lektüre ermöglicht. Das Textbild wurde deshalb weitgehend den heute im deutschen Sprachraum gebräuchlichen lateinischen Klassikerausgaben angeglichen (zur Gestaltung neulateinischer Editionen s. DENEIRE, T., *Editing Neo-Latin Texts. Editorial Principles: Spelling and Punctuation*, in: Brill's Encyclopaedia of the Neo-Latin World. Hrsg. Von P. Ford. u. a., Bd. 2, Leiden u. a. 2014, 959–962; DEITZ, L., *The Tools of the Trade. A few Remarks on Editing Renaissance Latin Texts*, in: *Humanistica Lovaniensia* 54 (2005), 345–358; RABBIE, E., *Editing Neo-Latin Texts*, in: *Editio. Internationales Jahrbuch für Editionswissenschaften* 10 (1996), 25–48; IJSEWIJN, J./SCARÉ, D., *Companion to Neo-Latin Studies*, 2. Aufl., Bd. 2, Löwen 1998, 434–501; MUNDT, L., *Empfehlungen zur Edition neulateinischer Texte*, in: *Mundt, L. u. a. (Hgg.), Probleme der Edition von Texten der Frühen Neuzeit. Beiträge zur Arbeitstagung der Kommission für die Edition von Texten der Frühen Neuzeit*, Tübingen 1992, 186–192).

Für die dabei notwendigen Eingriffe in den Text der Handschrift wurden im Wesentlichen folgende Prinzipien beachtet: Die ausufernde und für den heutigen Leser oftmals irreführende Interpunktion wurde an den modernen Gebrauch der deutschen Sprache angepasst. Die Akzente, die der leichteren Erkennung oder Unterscheidung von Wortformen dienen, wurden ausnahmslos weggelassen. Orthographie und Lautstand orientieren sich an den Klassikern. Sämtliche Abkürzungen und Ligaturen wurden aufgelöst. Der häufige Ersatz von *i* durch *y* wurde rückgängig gemacht (z. B. *sidus* für *sydus*), ebenso wie gewisse Diphtongierungen (z. B. *felix* statt *foelix*). Die Unterscheidung von vokalischem *i* und konsonantischem *j* wurde zurückgenommen. Konsonantenverdoppelungen wurden je nach Usus der Klassiker gesetzt oder entfernt (z. B. *belua* für *bellua*). Die Metathesis von *i* und *y* wurde rückgeführt. Anlautendes *ch* und unklassische Aspirationen (z. B. *letum* statt *lethum*) wurden eliminiert, das ausgefallenen interkonsonantische *s* wurde wiederhergestellt (z. B. *exstinxerat* statt *extinxerat*). Groß werden Eigennamen und Wörter am Satzanfang geschrieben. Auf die Unterscheidung zwischen dem christlichen Gott und den heidnischen Gottheiten, indem ersterer groß, letztere aber klein geschrieben werden, wurde in vorliegender Ausgabe verzichtet, zumal sich eine solche Differenzierung auch aus der Handschrift nicht entnehmen lässt (man findet darin *Deus* gleichberechtigt neben *Di*).

Die Sprecherkürzel wurden stillschweigend vereinheitlicht und als grundsätzliche Regel auf die ersten drei Buchstaben verkürzt. Regieanweisungen erscheinen kursiv und in runden Klammern, solche *in margine* wurden an den entsprechenden Stellen in den Text integriert. Eine Verszählung wurde eingefügt.

Die deutschen Passagen wurden behutsam normiert. Orthographie, Interpunktion und Lautstand wurden grundsätzlich beibehalten, lediglich die Groß- und Kleinschreibung wurde vereinheitlicht. Groß geschrieben werden Wörter am Satzanfang sowie Eigennamen.